

# **XVIII MARTII.**

## **DE S. EDVARDO MARTYRE ANGLIÆ REGE**

### **Historia Martyrij & Translationum.**

#### **PARS I.**

#### **Gesta in vita: occasio necis.**

[1] Sanctus Edwardus Rex in regni solio sublimatus, a Rege Regum Domino in omni via iustitiæ & veritatis dirigebatur: cuius & auxilio fretus, magno animi ingenio ac summa humilitate indies crescebat. Nam nouiter adepto honore, [Rex factus prudens in consilio decernendo:] mox pristinæ probitati hæc suarum incrementa virtutum accumulauit: iuuenum videlicet & minus sapientum consilia postponere, Dunstani Archipræsulis monitis mentem salubriter intendere, & iuxta consilium eius & aliorum religiosorum spectabilium virorum sua iudicia in omnibus exercere. Paternarum traditionum æmulator seruentissimus effectus, [seuerus contra malos] & tam in militari virtute quam in ecclesiasticis negotijs disponendis deuote ac strenue intentus, contra hostes & male agentes quadam severitate vtebatur: [beneuolus erga bonos,] pie vero viuentes, & præcipue in sacris constitutos Ordinibus, solerti cura, velut a patre pijssimo didicerat, ab omni infestatione protegebat. Preterea etiam quemdam quotidie consuetudinis ritum agebat, inopes alere, pauperes recreare, [& pauperes:] nudis vestimenta largiri: pro magno vtique lucro ea computans, quæ in tali opere consummauit.

[2] Tunc in Anglorum populo magna extitit iocunditas, magna pacis constantia, magna rerum opulentia: quoniam Rex eorum talibus in primo adhuc iuuentutis flore principijs deditus, cunctis erat affabilis, castitate laudabilis, facie decorus & hilaris, consilio ac prudentia

probatissimus. Sed totius bonitatis inimicus diabolus felicibus actibus eius inuidens, [incurrit in odium nouercæ,] & omnia regni totius gaudia disturbare cupiens, nouercam eius Alfritham in odium ipsius concitat. Cuius mulieris præsumptuosa versutia, quam sit execrabilis ex euentu rei facile animaduerti potest. Nam inuidiæ zelo succensa, & diuinis humana præponens, cogitare cœpit, qualiter priuignum a regno extirparet, [in necem eius cum consiliarijs conspirantis:] vt filius suus Etheldredus liberius in regno substitueretur. Talia itaque ea diu in anima pertractante, quibusdam Principibus, Consiliarijs suis, secreta cordis sui aperiens, consilium super hoc cum illis habuit, orans & obtestans vt ei vna assensum præberent, & quo ordine id fieri posset excogitarent. Qui protinus in necem illius omnes consenserunt, & vt hoc quantocyus perficerent, fraudulenta machinatione meditabantur.

[3] Quid plura? Confirmato, vt supra dictum est, venerabili viro in regno, cum jam tribus annis & octo mensibus sceptro hæreditario potiretur; forte die quadam cum canibus & equitibus venandi gratia in siluam accessit, [venatione] quæ iuxta villam e Warham dictam admodum grandis habebatur: sed nunc rara tantum spineta, non arbores neglecto situ campis late patentibus ibi cernuntur. Vbi cum aliquamdiu insisteret, reminiscens fratris sui adolescentis Ethelredi, ad videndum illum ire disposuit: quia eum puro & sincero corde dilexit. Erat autem iuxta eamdem siluam domus nouercæ suæ, [deflectit ad ædes nouercæ,] in qua prædictus puer nutriebatur, in loco qui ab incolis Corph nuncupatur, a villa memorata tribus miliaribus distans: vbi nunc castrum satis celebre constructum est. Ad quam dum assumpto pauco secum comitatu proficisceretur; ecce subito in mediæ viæ spatio, hominibus illius ludentium more huc illucque sparsis & euagantibus, ipse absque vlllo comite remansit. At ille, vt erat solus, ad domum illam, quia jam

eminus eam aspiciebat, tamquam agnus mansuetissimus, tendit: neminem verens aut pertimescens, quia nec minimum sibi aliquem se offendisse recognoscebat. Cui dum approximaret, nuntiatum est impijssimæ Reginæ a ministris suis illuc Regem Edwardum solum aduenire. Illa autem iniqua cogitatione & dolosa, ad explenda nequitiae suæ desideria adipisci se tempus idoneum gaudens, obuians mox cum satellitibus iniquitatis, tamquam de aduentu eius congratulans recepit, blandeque eum & amicabiliter salutans, [visurus fratrem Ethelredum:] ad hospitium inuitat. Qui renuit: sed fratrem suum Ethelredum se videre & alloqui velle denuntiat.

[4] Mox impijssima Regina ad alia se commenta transformans, & scelus ex occulto operiens, jubet absque dilatione potum sibi propinari: ut dum ille potum incaute degustaret, oportunius quod cogitauerat expleret. Interim unus etiam, qui & animo audacior & in scelere maior erat, ficta dilectione Iudae traditoris Domini factum imitans, [accepto osculo,] pacis ei libauit osculum: ut videlicet omnem suspicionem auferens amoremque intimum ei demonstrans, facilius suffocaret: [bibens interimitur,] quod & factum est. Nam postquam poculum a pincerna suscipiens, summotenus ore attigit, is qui osculum sibi intulerat, ex aduerso insiliens, cultello mox eius viscera transfixit. Qui inflicto vulnere cum paullulum inde diuertisset, de equo cui insederat subito in terram corruit. Sicque carus Dei occumbens pro terrenis mutauit cælestia, pro corona caduca & momentanea æterne felicitatis percepit immarcessibile diadema. Actum est autem hoc anno incarnati Verbi nongentesimo octogesimo primo, & quod dictu nefas, Quadragesimali tempore, scilicet quintodecimo Calendas Aprilis. Quod, vt credimus, ad cumulanda militis sui merita Diuina dispensatio sic præordinauit: [18. Martij.] vt, qui se annuo Quadragesimali ieiunio, carnem suam macerando aliisque bonis operibus inhærendo iuxta laudabilem ritum

**Christianorum, ad superuenturam dominicæ Resurrectionis diem præparauerat, in bono fine consummatus, cum ipso fructu bonorum operum in cælesti curia a Christo susciperetur.**

### **Annotata**

**Sunt hæc desumpta ex antiquæ editionis Legenda, collata cum MSS. & Breuario Sarisburiensi. Quæ præponebantur apud Surium & in Chronico Bromtoni, supra dedimus,**

**Potissimum arbitramur eminuisse ejus caritatem anno 976, quando fames valida inuaserat Angliam.**

**Alfritha, alijs Elfdriþa, Elfrida, Alfrida, in MS. Gorcomiensi, Estrildis filia Ordgari Ducis Deuoniæ, nupta anno 964, tunc vidua ob obitum Elfwoldi Ducis Orientalium Anglorum. [Alfritha.]**

### **PARS II.**

#### **Varicæ corporis translationes & eleuationes. Miracula.**

**[5] a Cvm prædicta Regina Alfrida de equo illum cecidisse audiisset, nequiticæ suæ nondum rabie exsaturata, rapi corpus eius quantocyus iubet, & in domicilium quoddam, quod iuxta erat, proijci, ne palam fieret, [corpus luce illustratur] quod fecerat. Cuius imperio ministri parentes nefandissimi, illico accurrunt, prædictum sacrum corpus more belluino per pedes abstrahunt, & in domicilium contemtibiliter, vt iusserat, proiectum vilibus stramentis cooperiunt. Erat autem in eadem domuncula mulier quædam a natiuitate cæca, quam memorata Regina in eleemosyna sua pascere solebat: quæ dum sequenti nocte ibi cum sacro corpore sola pernoctasset: ecce intempesta nocte gloria Domini in**

eadem domo apparens, [cæca illuminatur:] immenso eam repleuit splendore: unde prædicta paupercula non modico percussa terrore, cum omnipotentis Dei misericordiam attentius deprecaretur, superna largiente gratia, lumen diu desideratum meritis viri Dei recipere meruit. Quo in loco etiam postea a fidelibus in testimonium miraculi, ob eius memoriam ecclesia est constructa, quæ usque ad nostra tempora perduravit.

[6] Interea diluculo tenebras rumpente, dum per mulierculam illam Regina quod factum fuerat comperisset, & eam quam a natiuitate lumine privatam noverat iam illuminatam vidisset, angustiatur vultu & mente in diversa mutatur: metuens opus suum execrabile sic posse propalari, si non viri Dei corpus attentius tolleretur. [corpus in abditam paludem proijcitur.] Imperat itaque celeriter satellitibus, clanculo illud efferri, & in locis abditis & palustribus, ubi minus putaretur, humo tegi, ne ab aliquo posset amplius inueniri. Quibus iussa sine mora complentibus, edictum quo nihil inclementius proposuit, ne quis de interitu eius gemeret aut loqueretur, & sic memoriam ejus omnino delere existimabat. His ita peractis ad quamdam sui juris mansionem a prædicto loco X miliarijs distantem quæ Bere vocatur, continuo secessit, vt super hoc quod fecerat de ea suspicionem nemo haberet. [cum Ethelredi fratris summo luctu:] Interea tantus dolor Ethelredum de tam crudeli fratris sui morte inuasit, vt consolationem a nemine recipere, neque luctu neque lacrymis temperare potuisset: unde mater eius in furorem accensa, candelis cereis, quia aliud ad manus non habebat, eum atrociter verberavit, vt ita per multa verbera tandem eius compesceret ululatum. Hinc vt fertur postea toto tempore vitæ suæ candelas ita exosas habuit, vt vix eas aliquando coram se lucere permetteret. Quidam tamen in Chronicis suis ferunt, quod in pueritia sua matrem suam, cum cereis de cera factis, Edwardum fratrem suum frequenter viderat verberasse, & idcirco

coram se numquam ceream ardere permisit: sed hujusmodi luminaria semper odio habuit.

[7] Post hæc transacto anno cum iam supernæ pietati Edwardum Martyrem suum mundo innotescere, quantique meriti apud se fuerit declarare complacuisset; [columna ignis apparente reperitur:] corpus ejus venerabile quibusdam fidelibus devote quærentibus reuelare dignatus est atque cælesti indicio demonstrare. Nam circa locum ipsum, ubi occultatum fuerat corpus, columna ad instar ignis desuper emissa apparuit: quæ lucis suæ radijs locum undique frequenter irradiare visa est. Quod quidam viri deuoti de vicina villa Warham, non longe a mari austrino sita, comperientes, congregati in unum de memorato loco illud sustulerunt, ac in villam suam ad ecclesiam sanctæ Dei Genitricis Mariæ deportantes, [eleuatur 13 Febru.] ad orientalem ejus plagam officiosissime die iduum mensis Februarij Sacrum corpus sepelierunt; ubi lignea ecclesia, quæ postea a viris religiosis fabricata est, vsque hodie demonstratur. Fons etiam in loco, ubi prius jacuerat, dulces & perspicuas aquas ex eo tempore vsque hodie cernitur emanare, vnde fons S. Edwardi dicitur, vbi infirmis multa quotidie ad laudem Dei beneficia præstantur.

[8] Interea fama vulgante per vniuersam Anglorum patriam fraus & impietas Reginæ manifestatur, Regis innocentis præconium extollitur, virtutum vndique & meritorum ejus insignia prædicantur. Audiens itaque quidam Comes magnificus, Alferus nomine, sanctum corpus tam præclaro indicio inuentum, [solenni pompa transfertur versus Septoniam:] immenso perfusus gaudio, Dominoque suo tamquam adhuc viuo fidele obsequium præbere desiderans, in digniorem locum illud transferre decreuit. Ad quod opus digne peragendum Episcopos & Abbates cum Optimatibus regni, quos habere potuit, inuitauit, & ut in hoc sibi negotio consentiant &

subueniant, monet in Domino & precatur. Nuntium quoque ad Abbatissam Wolfridam in monasterio Wintoniensi dirigit, & vt ad peragendas tanti viri exequias cum sibi commissis Virginibus conveniat, denuntiat. Erat autem in eodem monasterio quædam venerabilis Virgo, soror ipsius S. Eduardi, magna vitæ & morum honestate pollens, Editha nuncupata, quæ supra dicti Regis Edgari, & ejusdem conjugis Wolfridæ nondum Deo consecratæ, filia erat. Quibus mox cum summa diligentia, & veneratione convenientibus, Episcopis quoque cum Abbatibus, vt diximus, congregatis, prædictus Alferus ex Dorsata non modicam virorum ac mulierum multitudinem coadunavit, & vsque Warham, vbi corpus viri Dei per triennium sepultum iacuerat, peruenit. Quod protinus in conspectu totius populi detectum, & a terra extractum, ita illæsum ab omni corruptione inventum est, ac si eodem die tumultatum fuisset. Videntes autem Episcopi hoc ceterique ordinis viri, in hymnis & laudibus omnipotentis Dei misericordiam glorificauerunt: qui Martyris sui innocentiam tali dignatus est indicio demonstrare. Tunc a venerabilium virorum manibus susceptum & feretro impositum, cum magno Cleri & plebis tripudio ad Septoniam, id est Schaltesburij deducitur, quæ temporibus Britonum Paladur vocabatur, & a Cassibeliano Rege ædificata magnæ sinositatis erat ciuitas, vbi cænobium in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ dedicatum admodum celebre habebatur, quod a magnifico Rege Alfredo, ipsius sancti viri attauo decentissime constructum fuerat, eo quod idem Rex filiam suam Haylenam nomine, sponso cælesti desponsare cupiens, in eadem ecclesia monasticis disciplinis tradiderat mancipatam; pro cuius amore plurimis frequenter & largis muneribus illam nobilitauit, nam inter reliqua donorum suorum insignia, centum hidas terræ ita quietas & liberas, sicut ipse eas & melius tenuerat, in perpetuum possidendas eidem donauit, quas vsque hodie virgines ibi Christo famulantes tenent.

[9] Interea cum vulgus vndique vtriusque sexus ad rem tam insolitam ex diuersis locis confluxisset, duo pauperes tanta acerbitate morbi contracti, [in itinere sanantur duo contracti:] ita vt vix per terram manibus cruribusque repere possent, inter ceteros ad sacrum corpus per viam adhuc versus dictum cœnobium deportatum aduenere, pro sua incommoditate sanctum Martyrem rogaturi: qui sancti viri feretro approximantes, cum hi qui sacrum corpus ferebant super eos, pro recuperanda sospitate illud deportassent, statim sanitatem in conspectu populi receperunt. Quo viso, clamor populi in altum extollitur, & omnes in commune merita S. Eduardi Regis & Martyris venerantur.

[10] Regina quoque memorata magnalia interim, quæ per virum Sanctum fiebant, audiens, compuncta super his quæ fecerat, equo mox ascenso post eum ire disposuit, pro commisso suo veniam rogatura: sed diuina sibi gratia resistente minime concessum est. [nouerca ne sequatur, diuinitus impeditur:] Nam dum in itinere cum suis satellitibus equitaret, ecce miro quodam & inæstimabili impedimento ita detinebatur, ut equus, super quem sedebat, retrorsum potius quam in ante versa vice intenderet. Quem freno constringere volens, dum interdum hac, interdum vero illac diuertendo, neque minis neque verberibus proficere potuisset; animaduertit peccatis suis exigentibus sic se detineri: vnde illico de equo in terram prosiliens, pedes tamquam ob maiorem reuerentiam ire parat. Sed iterum, quod dictu mirabile est, retorta, nihilominus quod concupierat consequi non valebat: vt videlicet aperte clareret pro scelere, quod in virum Dei operata est, hæc sibi infortunia euenire.

[11] Interea perductum venerabile corpus ad memoratum cœnobium Septoniæ, [deponitur Septoniæ:] & a Virginibus ibi Deo seruientibus digne & laudabiliter receptum, in Septemtrionali parte principalis aræ cum



**magno honore XII Calend. Martij tumulatur, ubi multa beneficia per eum infirmis post hæc diuina clementia sunt largita.**

**[12] Quædam namque matrona in remotis Angliæ partibus degens, cum nimia debilitate grauaretur, & quotidie pro sua incolumitate preces in conspectu Dei funderet, nocte quadam Sanctus ei Eduardus in visu astitit, [difficilis infirmitas,] cui & talia dixisse fertur. Cum diluculo surrexeris, ad locum ubi sepulturæ traditus sum, ire ne differas, quia ibi noua calceamenta infirmitati tuæ necessaria recipies. Erat enim, vt ex conjectura colligi potest, in pedibus grauius collisa, ideoque per calceamenta noua sanitas pedum designabatur. Euigilans autem mane cum somnium quod viderat cuidam vicinæ retulisset, illa visionis incredula phantasma esse asserebat. Interea vero cum monitis Sancti prædicti matrona parere dissimularet, adest rursus ei vir sanctus in visione dicens, [S. Eduardo apparente,] Quare præcepta mea respuens, tantopere salutem tuam negligis? Vade ergo ad sepulcrum meum, & ibi liberaberis. Illa autem resumptis viribus dixit ad eum: Et quis es tu, Domine, aut ubi sepulcrum tuum inueniam? Cui ille, Ego, inquit, sum Rex Eduardus, inuidiæ zelo & injusta nuper nece peremptus, & Septoniæ in ecclesia Dei Genitricis Mariæ sepultus. Mulier autem mane euigilans, [tollitur.] assumptis pro itinere suo necessarijs, ad prædictum cœnobium Septoniæ tendere mox incepit: ibique tandem perueniens, cum aliquamdiu Deum & S. Eduardum humili corde exoraret, sanitati restituta est.**

**[13] Pro interfectione autem istius Sancti Regis Eduardi, [2 monasteria a nouerca extracta.] prædicta Alfrida nouerca sua duo construxit monasteria fæminarum, unum videlicet apud Werewelle, vbi & ipsa requiescit, & aliud apud Ambresbyrij juxta Sarum.**

[14] Anno ab Incarnatione Domini millesimo primo, cum iam merita gloriosi Martyris Eduardi fratris Regis Ethelredi miraculorum magnalibus, quæ quotidie ad tumbam ejus fiebant, longe lateque declararentur; & supernæ iam dispensationi, vt ejus sacræ Reliquiæ a terra levarentur, complacuisset; cœpit hoc quibusdam indicijs ipse Sanctus manifestare, & quo ordine id debuisset fieri visionibus quibusdam demonstrare. Nam tumulus, in quo requiescebat, tanta indies facilitate a terra elevabatur, vt liquido cunctis appareret eum a loco illo velle transferri. Præterea quoque cuidam viro religioso in visione apparuit, cui & dixit: Vade ad cænobium, quod famoso nomine Septonia vocatur, & ad Abbatissam Virginem Alfredam, quæ ceteris inibi Deo famulantibus præest, perfer mandata. Dices ergo ei, quia in loco, in quo nunc iaceo, diutius esse nolo: & vt hæc fratri meo Ethelredo Regi absque aliqua dilatione denuntiet, ex parte mea impera. Qui mane consurgens ad Abbatissam, [S. Eduardo iubente] ut jussus fuerat, concito iuit, & cuncta, quæ ostensa sibi fuerant, sibi per ordinem narravit. At illa super hoc omnipotenti Deo gratias agens, vniuersa protinus auribus Regis Ethelredi exposuit, sed & sepulcri ejus elevationem cum summa deuotione innotuit. Audiens autem Rex tantam fratris sui gloriam, immenso perfunditur gaudio: & libenter quidem, si oportunitas daretur, ad tale ejus præconium conveniret, elevationi ejus cum toto mentis affectu desiderans interesse. Sed quia varijs & grauibus hostium incursionibus circumquaque vallatus, præsentiam suam ad id peragendum minime exhibere potuit; nuntios ad reuerentissimum Sirebernensem Episcopum, [corpus solenni pompa elevatur:] & ad quemdam magnæ Sanctitatis Præsulem, Elssinum nomine, ceterosque probabilis vitæ viros dirigit, monens & imperans, vt venerabilis viri fratris sui corpus de terra eleuatum condigno loco reponerent. Qui secundum Regium mandatum ad supradictum monasterium cum magna

**virorum & mulierum turba libenti animo conuenientes, aperto cum summa veneratione gloriosi Martyris monumento, tanta ex eo odoris fragantia emanauit, vt omnes qui aderant quasi in Paradisi delicijs se constitutos æstimarent. Tunc Pontifices deuote accedentes, sacras Reliquias de tumulo sustulerunt, & in loco venerabili ad hoc præparato eas diligenter componentes, in Sancto sanctorum cum alijs Sanctorum Reliquijs in spirituali diuinæ exultationis tripudio intulerunt. Eleuatum est itaque sacrum corpus anno XXI, ex quo illuc fuerat tumulatum.**

**[15] Succedente postea tempore pars Corporis ejus apud Leof monasterium juxta Herforde, pars vero apud Abendoniam est translata. Locus vero apud Septoniam, [reliquiæ alio delatæ,] vbi pulmo ejus adhuc integra vividitate palpitat, Edwardstowe dicitur.**